

V-II.

Occultatio Veneris à Lunâ ,

Anno 1729 Die 19 Sept. post meridiem , interdiu ob-
servata, in Observatorio Regio Berolinensi.

Immersionem Veneris sub Lunam bene observare potuimus , emersio vero sub nubibus accidit. Dimensus sum aliquot distantias centri Veneris à margine Lunæ lucido, per Tubum 7 pedum, quasdam etiam Tubo 18 pedum. Per eundem Tubum 18 pedum invigilavi immersioni, & distinctè animadverti mutationem Figuræ Veneris, cum proximè ad Lunam accederet. Cum enim antea dimidiata fere appareret, ejus cuspides prope marginem Lunæ evanescebant, & discus Veneris fere ellipticus, sed male terminatus, apparebat. Hoc accidit, non prope marginem Vitri ocularis, sed in ipso centro ejusdem Vitri, ita enim direxi Tubum, ut semper Venerem in medio vitri retinerem, ut melius observarem immersionem.

Notavi tempus quo primum Venus, seu potius ejus pars lucida, Lunæ marginem tangere videbatur, sed post 10 demùm secunda certè tangebatur parte suâ lucidâ Lunam; tandem notavi tempus quo ultima particula disci Veneris mihi evanuit. Sequens Tabella totam observationem exhibet.

	Tempus sec. Horolog. oscillator.		Tempus correctum			Part.	Part.	Val.
	H.	''	H.	''		micr. 7 ped.	micr. 18 ped.	part. micr.
1	11.	32. 20	11.	40. 32.	♀ à prox. marg. Lunæ	151		60.24
2	1.	26. 51	1.	35. 6	♀ à prox. marg. ☽.	30		12. 0
3	1.	30. 37	1.	38. 53	♀ à prox. marg. ☽.	26		10.24
4	1.	36. 20	1.	44. 36	♀ à prox. marg. ☽.	-	54	7.39
5	1.	42. 45	1.	51. 1	♀ à prox. marg. ☽.	12	-	4.48
6	1.	47. 1	1.	55. 17	♀ à prox. marg. ☽.	-	20	2.50
7	1.	51. 43	1.	59. 59	♀ à prox. marg. ☽.	-	6	0.51
8	1.	53. 50	2.	2. 6	♀ Lunam tangere videtur			
9	1.	54. 0	2.	2. 16	♀eris Cuspis Sept. tangit limbum Lunæ.			
10	1.	54. 45 $\frac{1}{2}$	2.	3. 11 $\frac{1}{2}$	Immersione totalis Veneris.			
11	2.	57. 32 $\frac{2}{2}$	3.	5. 50 $\frac{2}{2}$	♀rem primo vidi, jam ab occultatione liberâ.			
12	3.	6. 11	3.	14. 29	♀ à marg. ☽ remot.	98		59. 12
13	3.	8. 40	3.	16. 58	♀ à marg. ☽ remot.	102		0. 48
14	3.	11. 29	3.	19. 47	♀ à marg. ☽ remot.	105		42. 0